



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Prologus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

## PROLOGUS.

**S**igna & mirabilia fecit apud me Deus excelsus ; placuit ergo mihi prædicare signa ejus, quia magna sunt, & mirabilia ejus, quia fortia. Dan. III. Verba ista fuerunt Nabuchodonosor Regis Babiloniæ, qui postquam Daniel & Socii sui pro eo quod tradidissent corpora sua, ne seruirent & adorarent omnem Deum, excepto DEO, in quem crediderunt, ligati missi fuissent in fornacem effundebatur XLIX. cubitis, & incendit ministros suos, & Daniele sociosque ejus omnino non contristavit, nec quicquam molestiæ eis intulit, ait : Signa & mirabilia &c. Competunt tamen hæc verba auctori hujus libri, qui in Personâ Sacræ congregationis fratrum Hospitalis S. Mariæ domus Teutonicorum in Hierusalem, postquam vidit & audivit magna signa, & tam mirabilia facta insolita & à seculo inaudita, quæ per prædictos fratres in terra Pruschiæ Deus excelsus misericorditer operari dignatus est, qui pro defensione fidei corpora sua tradere in mortem non formidarunt, potuit dicere : Signa & mirabilia fecit apud me DEUS excelsus. Sed quia scriptum est. Videant opera vestra bona & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Ideò ad laudem & gloriam nominis Divini, & tam præsentium quam futurorum informationem, placuit ei prædicare signa DEI, quia magna sunt, & mirabilia ejus, quia fortia. Signa magna : Dicitur est in Actibus Apostolorum, quod Stephanus plenus gratiâ & fortitudine faciebat signa magna. Nec dubitandum est, quin fratres domus Teutonicæ pleni fuerint gratiâ & fortitudine, cum ipsi (a) pauci numero tam (b) potentem & ferocem & innumerabilem Pruthenorum gentem sibi subdiderunt, quam etiam (c) multi Principes licet sæpius attemptarent, non poterant sibi aliquo modo subjugare. Nec prætereundum est & hoc magnum signum, quod bellum prosperatum est in manu Fratrum prædictorum, sic quod infra (d) XI, annos à die

in-

introitus sui in terram Pruschia gentes, quæ terram Colmensem & Lubovia occupaverant, & nationes illas, quæ terras Pomesania, Pogefania, Warmia, Nattangia & Barthæ inhabitabant, sibi potenter & Christianæ fidei subdiderunt, ædificantes in eis plures munitiones, civitates & castra, quorum numerus & nomina inferius apparebunt. Ecce quam magnum signum, quod apparuit in cœlo Ecclesiæ militantis. Signa ergo bone JESU servos tibi devotos, per quos tam magna signa operari dignatus es, ut turbentur gentes & timeant, qui habitant terminos à signis tuis. Placuit etiam ei prædicare mirabilia ejus, quia fortia. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus per dictos Fratres, ut vere possit dici de ipsis, quod scriptum est de populo Israelitico post exitum de Ægypto: *Pf. 106, 8, 9.* Confiteantur Domino misericordia ejus, & mirabilia ejus filiis hominum, quia faciavit animam inanem & animam esurientem faciavit bonis. Ad intelligendum, quoniam anima, id est vita fratrum quondam inanis & esuriens, nunc sit bonis temporalibus faciata; necesse est ponere de defectu præterito & abundantia præsentis, ut scilicet Opposita juxta se posita magis elucescant; Fratres in primitivo, ut inimicos fidei facilius expugnant, toto cordis desiderio laborabant (e) pro fortibus equis, armis validis, & castris firmis, & nemo illis dabat alium excellentiorem apparatus corporis, & victum non curabant, nisi quantum summa necessitas requirebat. Imitantes Salvatoris nostri vitam & doctrinam, qui ait: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum & crucem suam tollat & sequatur me; In hoc abne-* *Matt. 16, 24.*  
*gabant semetipsos, quia cum essent genere (f) Nobiles, divitiis* *Luc. 9, 23.*  
 potentes, animo liberi, generosi tamen sanguinis sui titulum parvipendebant, vilia & vilissima humiliter amplectentes, quæ statum suum secundum seculi dignitatem non ducebant; Eligentesque veram paupertatem, renunciaverunt propria Vo-

luntati, sicque diversis & infinitis se incommodis, periculis, Curis, sollicitudinibus pro Christi nomine implicabant. Crucem etiam colebant & sequebantur CHRISTUM, cum omni die & hora parati fuerunt contumeliam & mortis supplicium pro defensione fidei sustinere. Vestem venustam, quæ habet calumniam elationis portare fuit dedecus inter eos. Quidam ex eis cilicio, alii loricam pro camisiâ utebantur; & quilibet cum Propheta posset dicere: Ego cum mihi molesti essent (i. infideles) induebar cilicio. De sacco quoque lineis, quibus farina ipsis trans mare ducebatur, fiebant vestes lineæ his qui induere voluerunt. Victus autem cibi & potus arctus fuit nimis. Dabatur enim in pondere & mensura, ut verè possent dicere cum Propheta: Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis & mensura. Completum fuit in eis quod Dominus per Isaiam dicit: Dabit tibi Dominus panem artum & aquam brevem. Cogebantur sæpius familiæ suæ, quæ in abstinentiâ fratrum consuetâ non potuit servitia debita complere, carnes dare ad vescendum, à quibus eo ipso tempore læto animo & vultu hilari abstinebant. Potus & pulmentum fratrum & familiæ adeò fuit tenuis substantiæ, quod color & sapor admixti (g) bladi vel leguminis vix poterat humanis sensibus comprehendi. Hæc & alia multò majora, quæ longum esset scribere, patienter perpeffi sunt in casis & tuguriis suis. Sed quot pericula & angustias, in exercitiis tum in bello, cum proficerentur contra infideles, patiebantur, novit ille, qui nihil ignorat. In eis completa fuerunt, quæ Apostolus de S.S. Martyribus scribens ad Hebræos, ait: Alii distenti sunt alii ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres: lapidati sunt, secti sunt, temptati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circumiverunt in meloris, in pellibus caprinis, egentes, angustiiati, afflictii, quibus dignus non erat mundus; In solitudinibus errantes,

*Pf. 34. (35.)  
v. 15.*

*Pf. 79. (80.)  
v. 6.  
Esa. 30, 20.*

*Hebr. 11. v.  
36.*

tes, & in montibus & speluncis, & in cavernis terræ; In his patet de factis quæ fratres quondam passi fuerant, in quibus anima eorum inanis fuit & esuriens. Si volueris scire qualiter in abundantia satiata sit in ædificiis, eqvis, armis, vestibus, cibo, potu, & multiplicatione fratrum & suorum, & aliis vitæ humanæ necessariis, aperi oculos tuos & vide omnia ad oculum tibi patent. Confiteantur etiam Domino misericordiæ ejus & mirabilia ejus filiis hominum, quia contrivit portas æreas & vectes ferreos confregit. Ecce mirabilia fortia, quomodo per fratres prædictos omnes gentes quæ inhabitabant terram Pruschiæ, quarum innumera multitudo inferius apparebit, exterminatæ sunt; & urbium & munitio-<sup>Ps. 106. (107)</sup> num suarum portæ æræ contritæ sunt & vectes ferrei sunt confracti, sicque Deus suscepit eos de via iniquitatis eorum & propter injustitias suas humiliati sunt. Confiteantur etiam Domino misericordiæ ejus & mirabilia ejus filiis hominum, ut sacrificent sacrificium laudis. Attende qualiter fratres, ut Judas Macchabæus, loca sancta terræ Pruschiæ, quæ gentes prius per Idololatriam polluerunt, mundaverunt & sacrificatur in eis quotidie DEO sacrificium laudis & honoris. Accipe ergo bone JESU Sacrificium istud pro universo populo tuo, & custodi partem tuam & sanctifica. Et ut debetur etiam instituunt Sacerdotes & augent quotidie cultum DEI. Sic per quam magna signa & fortia mirabilia fecit Deus excelsus per dictos fratres in terra Pruschiæ, quomodo autem prædicabuntur inferius apparebit. Sed quia in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipfos amantes, quærentes, quæ sua sunt, non quæ JESU CHRISTI, abundabit iniquitas & multorum caritas refrigescet. Idcirco benignissime JESU da eis Spiritum consilii sanioris, ut non contristent Spiritum, in quo signati sunt. Innova signa & multa mirabilia, & erue ipsos in mirabilibus tuis, & da gloriam nomini tuo, ut confundantur in  
omni

omni potentia sua, & robur eorum conteratur, & sciant, qui tu es DEUS solus & gloriosus super orbem terrarum &c.

### ANIMADVERSIONES.

- (a) Extenuat hic vires Cruciferorum, quò magis gratia Divina eluceat, sine quâ non potuissent tot tantasque gentes in suam redigere ditionem. Aliàs patescet ex sequentibus; Cruciferos contra Prussiam magnos non rarò duxisse exercitus; Ut enim præteream copias, quas cruciferi propriis sumptibus sibi subindè scribebant, ut & quas Duces Polonorum Cruciferis mittebant, præcipuas tantum hic expeditiones à Germanis Principibus, Comitibus aliisque susceptas enumerabo: Prima (post Fratrem Conradum, de quo *part. II. Cap. VIII.* & Hermannum Balke de quo *part. II. Cap. X. seqq.*) est Crucesignatorum *part. II. Cap. II.* Secunda iterum cruce signatorum *part. III. c. 8.* Tertia multorum Principum Poloniae & Silesiae, quibus se adjunxerat Sventopelcus Dux Pomeraniae. *part. III. c. X.* Quarta Marchionis Misnensis *Cap. XIII.* Quinta Ottonis Ducis Brunsvicensis & Lüneburgensis *Cap. XXV.* Sexta Austriacorum aliorumque cruce signatorum *Cap. LIV.* Septima Principis de Anhalt *Cap. LVIII.* Octava Crucesignatorum *Cap. LXII.* Nona Marchionis de Brandenburg. Episcopi Mersburgensis & aliorum. *Cap. LXVI.* Decima Ottocari Regis Bohemiae. *Cap. LXX.* Undecima Johannis Marchionis Brandeb. *Cap. LXXVI.* Duodecima cujusdam Rederi, aliorumque *Cap. LXXXVI.* Decima tertia Comitis De Barbii *Cap. LXXXVIII.* Decima quarta Comitum de Juliaco & Marcha. *Cap. XCIII.* Decima quinta Duces Brunsvicensis, Landgrafii Thuringiae, Ottonis Marchionis Brandeb. aliorumque *Cap. CXX.* Decima Sexta Theodori Marchionis Misniae. *Cap. CXXVIII.*
- (b) De potentia Prussicarum gentium agit auctor infra *parte III. Cap. III.*
- (c) Intelligit hæc Auctor sine dubio de Julio Cæsare, de IX. Germanis ex Syecia fratribus ut & de Hugone Potyre dicto *de quibus egit part. 2. hujus Chronici Cap. 7.* Videantur ea, quæ nos ibi notavimus. Sed sunt adhuc alii Principes qui Prussos sibi subicere, irrito tamen conatu, laborarunt, ut sunt Duces Polonorum. Primus,

mus, qui Pruffis bellum intulit, est Boleslaus Chrabri Rex Poloniarum Sec. XI. quod præter Polonicos Scriptores etiam Helmoldus testatur *lib. I. Chronici Slav. Cap. XV.* Occasionem bello præbuit cædes S. Adolberti, à Pruffis idololatris propè oppidum *Sischausen* Occisi. Quamvis verò tum Prussi obedientiam promiserint & tributum, Recedentibus tamen Polonis, ea denegarunt, *Vid. Vincent: Kadlubko lib. II. epist. XIII. p. 138. Johan. Dlugoff. Tom. I. Hist. Pol. Lib. II. ad an. 1015. pag. 152. seqq. Cromer. lib. III. fol. 442. seq. Schuz. lib. I. Chron. Pruss. fol. 8. b.* Posthæc Prussos imperata facere detrectantes, ad officium reducere conatus est Miecislauus II. filius dicti illius Boleslai Schuz. *lib. I. Chron. Pruss. fol. 8.* Nec tamen illi domiti sunt, donec Boleslaus II. Audax ad Imperium esset admotus, *Dlugoff. lib. III. ad an. 1064. fol. 234. seq. Schüz in Chron. lib. I. f. 9. b.* Sed neque tum quiescere Prussi, quare Wladislaus Hermannus Boleslai II. Frater varia contra ipsos bella gessisse legitur. *Dlugoff. lib. IV. ad an. 1092. f. 291. seq. & ad annum 1093. fol. 294. Salomon Neugeb. lib. III. Hist. Pol. p. 71. seqq.* Boleslaus III. Crivousti eos deinde in obsequio ad aliquod tempus continuit. Sed eò è viuis sublatò & Imperium Polonicum & Religionem Christianam, paulò ante metu Boleslai IV. Crispi susceptam, ejurarunt, magna Boleslao Crispo illatâ clade, *Vid. Vincent. Kadlubko lib. 3. epist. 31. p. 374. seq. Neugeb. lib. III. p. 107. seq.* Post hæc tempora, cum Polonia esset in tot Partes distracta, Prussi Masoviam infestare cœperunt multisque eam clibus afflixerunt, de quo Dusburgius noster *part. II. Chron. bujus agit.*

(d) Plures quam XI. annos consumptos esse in populis illis sub jugum mittendis, patet ex *Cap. XIX. partis III. usque ad Cap. XXVII.* fortassis igitur legendum est XIV. annos. Alias Prussia totis LIII. annis Ordini Teutonico restitit, antequam tota potuit sub jugum mitti. Videlicet anno 1231. Prussica bella cœpit gerere Hermannus Balke primus Magister ordinis Teutonici in Prussia Provincialis, ab Hermanno de Salza Magistro Generali missus, ut constat ex *part. III. cap. I.* Finita autem sunt bella Prussica Anno 1283. ut habet idem Dusburg infra *parte III. Cap. CCXVI.*

(e) Vide de his & quæ deinde de vita fratrum dicuntur in Regula Ordinis.

B

In

- (f) In ordinem recipiebantur tantum Nobiles, & quidem Germani. Hoc tamen disertis Verbis exprimi in Regula Ordinis non observavi. Neque illud adeò strictè semper fuit observatum. Nam quod ad primum attinet Sigefridus à Seuchtwangen XII. Magister ordinis admisit etiam plebejos, dummodo essent integræ famæ, ut auctor est Waisselius *fol. 108.* & Henneb. *in Comment. ad tab. Geogr. Pruss. pag. 281.* Neque posterius, quod de natione Germanica diximus, adeò religiosè observabatur, ut cognoscimus ex ipsius Dusburgii *part. III. Cap. LI.* ut & Schuz. *lib. I. Chron. Pruss. fol. 41.* ubi de Scumando.
- (g) Bladum. Barbarum est Vocabulum, notatque semen; sæpè & fructum arborum & vitium: Præcipue tamen frumentum. Unde imbladare est seminare. Infra Dusburgius *part. III. Cap. LXIX.* reddit hoc per Verbum *germina.* De origine Vocis bladum vid. Gerh. Johan. Vossius *lib. II. de vitis. Sermonis Cap. XXIV. & lib. II. Cap. III.* & Gvilhelmus Watz. *in Glossario in voce Bladum & Brasium.* Sic apud Math. Parisiensem ad an. 1203. dicitur panis de toto blado p. 208. quod Watzius explicat de pane ex ipsa farina uti de molendino venit, & nondum cribrata est.

## DE MODO AGENDI LIBRI HUIUS.

**M**odus agendi in hoc libro erit iste: Primò describam, quo tempore & à quibus & quomodo incepit Ordo domus Teutonicæ. Secundò quando & quomodo fratres intraverunt in terram Pruschia. Tertiò de bellis & aliis, quæ gesta sunt in dicta terra, (a) quorum pauca quæ vidi, alia quæ audivi ab his qui viderunt & interfuerunt, cætera quæ relatione veridica intellexi. Quartò ponam in margine Pontifices summos & Imperatores qui à tempore institutionis hujus Ordinis regnaverunt, & notabilia quædam facta, quæ ipsorum temporibus acciderunt. Sed quia insufficientem me ad hoc negotium consummandum recognosco, maximè pro eo, quod hujusmodi factum (b) penè jam